

EXORDIUM.

IN resurrectione tua Christe letantur
 Cælum & Terra, canit Ecclesia. Qua-
 propter ut & nos, quorum causa Christus,
 teste Apostolo, resurrexit, letitiam & gau- Rom: 4.
 dium in nobis excitemus; latissimam resur-
 rectionis Christi historiam à Joanne descri- cap. 20.
 ptam consideremus.

NARRATIO.

NOn immeritò hanc prælectam hi-
 storiam, hac ipsa horâ matutinâ ex-
 plicandam suscepimus. Circa hoc enim
 matutinum tempus, illa, quæ in eâ con-
 tinentur, facta esse, ex textu est manife-
 stum: & Marcus Christum, cum resur- cap: 16.
 rexisset, manè primâ die Sabbathorum,
 primò Mariæ Magdalenaë apparuisse, af-
 firmat. Consideremus autem ex hac
 historiâ:

- I. Quomodo Maria Magdalena Christum
 in sepulchro quæsi verit, illum non in-
 venerit, Christumq; ablatum esse
 affirmârit.
- II. Quomodo discipuli audito hoc ru-
 more, se gesserint.